



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 5. Acceßit ad eum mulier habens alabstrum. v. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

fiat, & Agni Paschalis figura eo ipso die impletur, quo erat usitata.

O Domine præsta mihi hanc gratiam, ut tuam voluntatem non ignarus ut isti, sed sciens volensque impleam, nempe voluntatem tuam sanctam, beneplacentem, non autem solum permittentem: non tendam alio, quam quo tuus sanctus Spiritus ducit, non quo mea me passio seducit.

§. 4. *Cum autem Iesus esset in domo Simonis leprosi. v. 6.*

En Christus Dominus & bonos & malos visitat, hos ad convertendum illos ad confortandum verbo & exemplo suo; etiam manducat cum bonis & malis, cum sanis & infirmis, neminem respuendo, qui omnes venerat salvos facere, ut omnes se se convertere possent, occasionem parabat.

Mi Jesu exemplo tuo neminem spernam, ut, si possibile est, omnes lucrifaciam, ad te malos convertendo, & bonos confortando & verbis & exemplo edificando.

§. 5. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum. v. 7.*

Cum Iesus esset in domo Simonis leprosi, sive peccatoris sive justi accessit ad eum melior persona quæ perfectius recreabat Christum, & in signum conversionis, amoris, recognitionis gratiæ gratis datæ, & satisfactionis offerbat unguenta pretiosa, & hæc non iam super pedes, sed super caput. Jesu effudit, ei se & omnia sua totaliter per hoc factum resignat.

O Domine da etiam gratiam mihi peccatori, qui in domo peccatoris scilicet in hoc maligno mundo dego, laqueis pleno, in quo ad peccandum occasiones sunt infinitæ ut conversus ad te semel & perfecte, uti hæc mulier, me tibi toto corde offerendo, virtutes emendatæ vitæ effundam cunctis diebus vitæ meæ super caput tuum, ut videntes meam emendationem glorificent patrem qui in Cælis est, & ego cum hac muliere in odore suavitatis curram viam mandatorum tuorum.

§. 6. *Videntes autem discipuli indignati sunt. v. 8.*

Adhuc peccatores discipuli indignati sunt, quod vel illa te tangeret, mi Jesu tam mundum tamque innocentem, ignorantes ejus sanctitatem, vel invidentes quod illa magis honoraret; vel indignati sunt quod tam abunde pretiosum illud unguentum effunderet in te, idque ex eo quod adhuc tenaces erant & avari, non intelligentes nec comprehendentes cui? tanto scilicet Regi terræ & Cælorum? & quo ex amore & affectu illa effunderet, in gratiarum scilicet actionem gratiæ datæ, conversionis, penitentis & satisfactionis.